



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

D I S S E R T A T I O
D E
V A M P Y R I S
S E R V I E N S I B V S

Q V A M

S V P R E M I N V M I N I S A V S P I C I O

P R A E S I D E

M. IOANNE HENR. ZOPFIO
GYMNASII ASSINDIENSIS
DIRECTORE

P V B L I C E D E F E N D E T

R E S P O N D E N S

C H R I S T I A N V S F R I D E R I C V S V A N D A L E N

E M M E R I C E N S I S .

I N A C R O A T E R I O M A I O R I

A D D I E M M A R T I I c I o l o c c x x x i i i .

H O R I S A N T E M E R I D I A N I S .



D V I S B V R G I ad R H E N V M ,
Typis JOHANNIS Sas, Academiae Typographi,
Anno c I o l o c c x x x i i .

(3)

RESPONDENTI PER-EXIMIO
CHRISTIANO FRIDE-
RICO VAN DALEN,
EMMERICENS.

Academiae Candidato longe
dignissimo,

S. D.

P R A E S E S

M. IOAN. HENR. ZOPFIVS.



Iennium est, IVVENIS PRAE-
STANTISSIME, ex quo primum apud
nos, eumque nobilem de Baptismo
vniq. r̄w̄ r̄xp̄w̄, in arena disputationia
conflictum subeundo, TVAE alacrita-
tis promptique ingenii specimen haud
vulgare in publicum edidisti. Dum ergo
altera ipsa vice ad eruditum, de Vampyris Serviensibus,
certamen procedis, egregium sanc facinus audes, TVA-

A 2

que

que indole erecta & nihil non praecclari minante dignum. Hoc ipso nimirum demonstras, quid aliquando Ecclesia, quid respublica litteraria de TE sperare possit, quando id iam praestas in cathedra Gymnaltica, quod vix centesimus quisque in Academica. Non eo spectat oratio mea, altos ut TIBI spiritus faciam: sed, ut animum TVVM ad optima studia iam vitro incitatum, magis incendam atque exstinguelam. Magnam enim, mihi crede, fastines exspectationem eorum, quibus paullo penitus TVAS inspiciendi dores copia obtigit: quam procul dubio implebis, immo & superabis, si pari ardore, quo adhuc consuesti, bonas persequi litteras non destiteris. Eo quippe animo, relictis mollioribus mpasis, ad severiores doctorum Academicorum acroases contendis. Nouum ita patenterque campum adsequeris, in quo exsicerere ingenii vires, animique cultum, non in herba, quod aiont, adhuc virescentem, sed iam laetius efflorescentem, gratia coelesti, velut benignissimi influxu sideris, adiutus, ad maturitatem perducere possis exoptatissimam. Quod laudabile institutum ex animo TIBI gratulor, Deumque, omnis boni datorem summum, imploro supplex & veneror, TVOS ut in posterum quoque fortunet ac prouebat conatus, &, quandoquidem sanctioribus litteris dicasti studium, sacratissimi sui spiritus adflatu, mentem TVAM, actiones, totam denique vitam regat, TEque organum amplificando CHRISTI regno idoneum efficiat. Vale. Scrib. Assindiae, die xxv. Mart. ccccxxxiii.

DIS-

DISSERTATIONIS
DE
VAMPYRIS SER-
VIENSIBVS
SYNOPSIS.

- | | |
|--|--|
| <i>Quid Vampyrorum nomine desi-</i> | <i>Cuius sententiae falsitas demon-</i> |
| <i>gnetur, §. I.</i> | <i>stratur, §. XV.</i> |
| <i>Instituti ratio, §. II.</i> | <i>Respondetur ad argumenta con-</i> |
| <i>Phaenomena huius portenti recen-</i> | <i>traria, §. XVI--XVIII.</i> |
| <i>sentur, §. III.</i> | <i>Frustra prouocant ad speciosos spe-</i> |
| <i>Quodrum fides historica publicis</i> | <i>ctrorum sermones, §. XIX.</i> |
| <i>documentis nititur, §. IV.</i> | <i>Ergo nec Vampyrorum operationes</i> |
| <i>Cui principio agenti ea tribuenda</i> | <i>animabus tribuendæ, §. XX.</i> |
| <i>sint, §. V.</i> | <i>An spiritus astralis istos effectus</i> |
| <i>Praemittuntur axiomata quae-</i> | <i>producere possit, §. XXI.</i> |
| <i>dam, §. VI.</i> | <i>Quod adseritur in Fama Spiritua-</i> |
| <i>Tractationis duo primaria momen-</i> | <i>li, §. XXII.</i> |
| <i>ta, §. VII.</i> | <i>Hypothesis de spiritu astrali iam</i> |
| <i>Caussa istorum effectuum non sunt</i> | <i>olim Paracelso aliisque adrisit,</i> |
| <i>cadavera humana, §. VIII.</i> | <i>§. XXIII.</i> |
| <i>Vbi de masticatione mortuorum</i> | <i>Spiritus astralis est chimæra &</i> |
| <i>obiter, §. IX.</i> | <i>non-ens, §. XXIV.</i> |
| <i>Porro caussa mali non est nudus</i> | <i>Neque Vampyris commode adpli-</i> |
| <i>ephalites, §. X.</i> | <i>catur, §. XXV.</i> |
| <i>Neque sola phantasia corruptio,</i> | <i>Eadem hypothesis absurdas gignit.</i> |
| <i>morbusue acutus, §. XI. XII.</i> | <i>sequelas, §. XXVI.</i> |
| <i>Neque animae a corporibus sepa-</i> | <i>Aliaque trahit incommoda,</i> |
| <i>ratae, §. XIII.</i> | <i>§. XXVII.</i> |
| <i>Animas post mortem adparere,</i> | <i>Positue offenditur, Vampyrorum</i> |
| <i>multi statuunt, §. XIV.</i> | <i>effectus esse operationes Diabo-</i> |
| | <i>licas,</i> |

licas, §. XXVIII.

Diabolo facultas agendi in corpora non est deneganda, §. XXIX.

Quod probatur ex euidentibus Scripturae testimoniis, §. XXX.

XXXI.

Idem confirmant testimonia humana, §. XXXII.

Nec diabolo voluntas deest, ea peragendi, quae de Vampyris commemorantur, §. XXXIII.

Plebis Seruensis physica & moralis dispositio, §. XXXIV.

Resp. ad obiectiōnēm: Diabolum alibi quoque bos lusus peragere posse, §. XXXV.

Ex eo, quod operandi modum ignoramus, operatio ipsa negari nequit, §. XXXVI.

Neque idcirco diabolo tribuuntur miracula, §. XXXVII.

Tota Vampyrorum tragoedia consistere videtur in contagio quodam magico, §. XXXVIII.

Diabolus causis naturalibus suās immiscet operationes, §. XXXIX.

Cur malum sopiaatur, destructis Vampyrorum corporibus, §. XL.

Quinam Vampyris possint comparari, §. XLI.

§. I.



E dissertationis titulus diu te suspensum habeat, L. B. in ipso statim limine, quid per VAMPYROS intelligatur, paucis exponendum. Hoc videlicet nomine designant famosum illud ac pestilens birundinum genus, quod inde ab anno clo 10cc xxv. in Seruia saeuuisse, publicarum litterarum indicio vulgatum est. Apud Hungaros etiam PAMGRI audiunt, cuius de vocabuli notionie atque etymo non magis constat, quam de obscuro Vampyrorum nomine. Germanico idiomate dici solent Todten·Grecher / Blut·Gauger / vulgoque habentur pro hominum defunctorum spectris, quae nocte intempesta de sepulcris prodeant, in dormientes insilient, & sanguine exhaustos, letō tradant.

§. II. Quae res cum sit eiusmodi, ut accuratori scrutinio dignam vtique censeamus, age ! iaciemus aleam, ac primo quidem phænomena & παράστασες historicas, breuiter commemorabimus,

mus, deinde ab effectu ad causam efficientem, quoad fieri potest, inuestigandam progressuri.

§. III. Ex iis relationibus, quae de Vampyris Seruiensibus adhuc emanarunt in vulgus, haec potissimum phaenomena nobis innotuerunt: tradunt nimirum (1) apparere in Seruia, praesertim in pago Medvedia, non procul Beraxino, spectra personarum, quae paucis ante diebus, septimanis, mensibus, e vita discesserint; (2) spectra isthaec adoriri homines vtriusque sexus, neque etiam infantibus parcere; (3) personas ab eiusmodi incubis infestatas, de suffocatione & spiritus interceptione grauiter conqueri, ac breui post exspirare; (4) rogatos a suis moribundos, ecquid malae rei ipsis acciderit, a spectro hominis nuper defuncti sibi illatum, profiteri; (5) quo facto cadauer personae a moribundo designatae e sepulcro effodi, in quo crudus adhuc vigor, capilli vnguesque recens prognati, nares, bucca, pectus, yentriculus, & reliqua corporis vala, recenti sanguine turgida deprehendantur, cumque alii post eos extincti iam putrescant, in his ne minimam corruptionis notam conspici; (6) eos, qui ab eiusmodi Vampyris necentur, eandem post fata naturam induere, atque alios pari leto adficere; (7) quod ne latius malum serpat, hominis enecti praecordia palo transfigi praeacuto, vnde cruar latus, quasi ab homine viuo, profluat; (8) facie cadauer e sepulcro erui, rogoque impositum in cineres redigi, quo ipso manum sopiatur.

§. IV. Fabulae, quam historiae similiora crederes, nisi documenta publica fidem rei prodigiosae facerent: quae satis prolixa exhibet auctor quidam anonymus, in libello, quem inscripti: Curieuse und sehr wunderbare Relation, von denen sich neueter Dinge in Servien erzeugenden Blut-Saugern oder Vampyrs, aus authentischen Nachrichten mitgetheilet / und mit historischen und philosophischen Reflexionen begleitet / von W. S. G. E. 8. 1732. Cum illa facti specie, quæ in citato tractatu continetur, in plerisque conspirant ea, quæ exstant in ephemeredibus nuper vulgari coepitis, sub titulo: die Geistliche Fama, Part. VIII. art. 2. von der Todten Essen und Trincken / p. 22. sqq. Vbi ea legi potest

potest relatio , quam auctor e priuato litterarum commercio , quod ipsi cum medico quodam Viennensi intercedat , sese adpetunt - testatur.

S. V. Iam cui demum caussae effectrici , cui principio agenti isthaec omnia tribuenda sint , merito quaeritur . Si vlla in re , certe in hoc argumento eruditorum sententiae non magis inter se sunt concordes , quam vel philosophi , vel horologia , vt ait Seneca . Neque ii profecto sumus , qui exactam rei , tot difficultatum nebulis inuolutae , sibi arrogare decisionem velint . Ceterum , sicuti in quaestionibus tam impeditis suo quemque abundare sensu , aequo animo patimur : ita vicissim nihil obstare nobis potest , quo minus ea , quae a veri specie propius abesse nobis videntur , libere & cordate expromamus .

S. VI. Quod priusquam faciamus , sequentia iure supponimus , quae sapior quisque nobis vltro largietur . (I) Plurimi dantur effectus tum naturales , tum praeternaturales , in quibus praeter nudam operationis existentiam , nihil certi cognoscere licet , secundum illud : *rem scimus , modum ignoramus* . Vnde (II) non illico pro conflictis habenda sunt , aut in dubium vocanda , quae si modum essendi spectes , humanae cognitionis sphærā transcedunt . Neque perfunctorie hic obseruandum (III) illam hypothesis non statim esse optimam & veritati congruam , vi cuius omnia vel saltem pleraque alicuius effectus phaenomena vtcunque possint explicari , praeferunt si illa hypothesis ita comparata sit , vt aut obscuritatibus suis laboret , aut revelationis principio repugnet , aut absurdas trahat sequelas . His (IV) addimus , non esse indignum cordato philosopho , multo minus theologo , ad caussas praeternaturales , spirituumque operationem vel saltem *συνέργειαν* ascendere , sicubi caussarum naturalium nexus ad phaenomena explicanda non sufficit . His probe obseruatis , diuerissimae doctorum hominum , immo & Collegiorum , de Vampyris opiniones , facilius poterunt diiudicari .

S. VII. Ad rem ipsam quod attinet , in ea pertractanda contemnur ordine , vt primo *κατ' ἀρχήν* doceamus , huius effectus causam non esse (1) cadaver hominis defuncti ; nec (2) incubum

bumb nudum , aliumue morbum acutum atque idealem ; neque (3) spectrum animae humanae : deinde ~~xata~~ θέων euincamus , sub illa Vampyrorum larua latitare cacodaemonem.

§. VIII. Non ergo *cadaveri hominis defuncti* effectus ille trubui vlo modo potest , cum materia per se iners & passiuam nullam agendi vim habeat. Neque tamen desunt , qui omnia isthaec phaenomena , supra de Vampyris tradita , ex solius materiae efficacia , atque operatione corporis in corpus , explicare vano conamine admituntur. In his est M. MICHAEL RANTIVS , qui anno clo locc xxv. binas edidit dissertationes , de *Masticatione mortuorum in tumulis*. Ibi supponit auctor , materiam non esse inertem & passiuam , sed infinitis potentiis & vitalitatibus foecundam & grauidam. Huic materiae suae duas adsignat proprietates , (1) *vegetantiam* , vt , si vita hominis , tanquam compositi , in morte cesseret , vita tamen corpori specifica supereret , vi cuius hominis demortui corpus possit a putrefactione seruari immune , possit masticare , crines generare , sanguinem profundere & reliqua id genus ; (2) *sensionem* , ex qua operationem nociuam corporum in viuos deriuat , vbi omnia redeunt ad sympathiam & antipathiam corporum , ad magiam naturalem , ad imaginationem superstitionis & effluvia demortuorum. Eadem de spectris quondam somniarunt CARDANUS de subtilitate Lib. 18. IVL. CAESAR VANINVS in Dialogo , de admirandis naturae , reginag deaeque mortalium , arcanis , Dial. 51. p. 370. & IACOBVS GAFFARELLVS in Curiosit. inaud. cap. V. §. 20. Sed qui accuratius mentem aduerterit , facile intelliget , auctoris huius hypothesin falsissimo niti supposito. Fac enim , dari materiam infinitis potentiis & vitalitatibus foecundam ; habebimus ergo materiam omnipotentem , aeternam , infinitam , intelligentem , spiritualem , quod absurdum. Dum autem sua principia propositis adplicare phaenomenis satagit , mirum in modum sese torquet , multasque configit circumstantias , a facti specie prorsus alienas , vt effectus illos e materia sua vitali elicere possit.

§. IX. Interim non omnes corporibus defunctorum hominum ~~evēgyway~~ agendique vim esse derogandam , colligere quis possit ,

possit, ex iis, quae de masticatione mortuorum, von dem Schma-
gen und Rauen der Todten in den Gräbern / vulgo circumferun-
tur. Tradunt quippe, mortuos in sepulcris interdum linteas &
fascias, quibus inuolui solent, deuorare, ac sensim déglutire.
Quo ipso consequi putant, vt plures mox ex eadem familia de-
cedant. Hinc vt alibi, ita praeſertim in Saxonia superiori; hoc
ſuarum partium eſſe putant vespillones, vt antequam cadauer in
sepulcrum demittunt, loculum redaperiant, &, quicquid ori
propinquum eſt, ſollicite remoueant. Masticantium exempla
mortuorum complura referunt LVTHERVUS in den Zech. Re-
den / Cap. IX. ERASM. FRANCISCI im Höllischen Proteust
Cap. XXVIII. D. Hörnig im Bärge Engel / qu. 71. Sed quan-
tum fidei omnis illa de masticatione mortuorum traditio mereau-
tur, ſicut aliis inquirendum relinquimus: ita, ſi vel maxime tale
quid accidere soleat, huiusmodi effectum corporibus vere ex-
animatis tribuere, perinde absurdum censemus, ac ſi quis cum
rudi Seruiensium plebe statueret, mortuos de ſepulcris prodire,
viuorumque hominum ſanguinem exfugere. Sunt, qui maſti-
cationem illam hominibus adparenter mortuis, & in tumulo re-
uiuifcentibus tribuunt. Alii cum LVTHERO l. c. omnia iſt-
haec operationibus maligni daemonis adſcribunt. Nos, vt B.
SPENERO facile ſubſcribimus, qui in *Confilis Latinis* Part.
III. p. 120. adſerit, plures adparenter mortuos terre mandari,
quam vulgo credatur: ita ſingulares circumſtantiae quorundam
exemplorum nobis perſuadent, non raro diabolum suas & hic in-
termiſſere illuſiones.

§. X. Iam porro diſpiciendum, an Seruiensis illa pefis, quae
intra ſeptennium tot hominibus repentinae mortis cauſa exſtitit,
pro naturali morbo ſit habenda. Notiffimus inter medicos mor-
bus eſt EPHIALTES, ſeu incubus, germ. der Alp / die Trutte /
qui cum Vampyris maximam habere videtur analogiam. Si
VOSSIVM de *Idololatria*, Lib. III. cap. 35. audiamus, oritur
haec adfectio, quando humor viſcidus, ſive denſi ae fuliginosus
halitus, primo quidem cor, mox & cerebrum repleteant: & in
primis contingere ſolet iis, qui ſupini dormiunt. Sic enim ſpina
dorsi

dorsi cor proprius attingens liberum eius impedit motum , halitus genere crassiores circa cor congregantur , ac deinde delati in cerebrum , monstrosas signunt imaginationes atque terrificas : Pulmones etiam premunt , atque ita vocem veluti intercipiunt , ut dormiens operam implorare minime possit . Sic de incubo philosophatur ille . Quemadmodum autem inficias ire nolimus , compressionem eiusmodi nocturnam e caussis mere naturalibus ortum ducere : ita vix adduci nos patiemur , ut credamus , solum incubum tot Medvediae incolis , immo etiam infantibus , mortem accelerasse . Testantur omnes medici , incubum non esse letalem , nisi saepius recurrat . Iam vero omnes in eo relationes conueniunt , homines à Vampyris occisos , tantum semel eiusmodi compressionem sensisse , cum brevi ante firma sint usi valetudine . Vix ergo probabile videtur , unicum incubi paroxysimum homines illos dedisse leto . Vnde calculum addere non possumus DN. D. STOCKIO , Medico Ienensi , qui in dissertatione de *Cadaueribus sanguisugis* , repentinam illam hominum in Seruia suffocationem , à solo incubo repetendam esse statuit .

§. XI. Aliam haec phaenomena explicandi viam ingressi sunt alii , dum non modo genus mortis ; sed reliqua etiam , quae in Vampyris obseruata sunt , ex caussis mere naturalibus explicare sunt annisi . Instar omnium sit auctor iste anonymous , qui anno superiori , germanico idiomate , libellum edidit hac inscriptione insignitum : *Eines Weimartischen Medici mathematische Gedanken von denen Vampyren , oder so genannten Blut-Saugern / welchen zulegt das Gutachten der Kdnigl. Preussischen Societät der Wissenschaften von gedachten Vampyren mit beygefügtem ist / 8. Leipzig 1732.* In hoc tractatu contendit auctor , Vampyros esse chimeras , quae corruptam hominum quorundam phantasiam pro matre sua agnoscant . Idque probat vel potius suspicatur ex eo , quod (1) morbus , quo homines pro Vampyris venditati exspirarent , plane fuerit naturalis , febris nimirum maligna & contagiosa , cum affectu compressorio & strangulatorio coniuncta ; (2) quia phaenomena in his cadaueribus conspicua , ex caussis mere naturalibus deriuari possint . Nam primo quod attinet ad ipsius-

tum illum corporum diu defunctorum vigorem & a corruptione immunitatem, complures auctor caussas allegat, quibus cadae- rum in tumulis putrefactio possit impediri, vt adeo hic nihil sit insolens. Alterum phaenomenon, quod Vampyris crines vnguesque recentes procrescant, inter vana commenta refert au- tor, eo quod nullum sit in cadavere principium agens, a quo ille vegetationis actus possit exerceri. Neque illud magnopere admirandum statuit, quod in Vampyris multum fluidi sanguinis repertum sit, cum haemorrhagio & cruentatione cadaverum ni- hil sit frequentius, & apoplectica in primis subiecta post mor- tem ex ore, naso, auribus, immo & oculis, largum non raro sanguinem profundant, quae sanguinis profluvia a medicamen- tis fortioribus, a succulento corporis habitu, itemque ab aestu tempestatis, caussisque aliis, possint oriri.

§. XII. Sed quantis parasangis haec pleraque a veri specie discedant, haud difficulter intelliget, qui illas coniecturas cum documentis historicis contenderit. Scilicet in re facti, com- plura sibi imaginatur auctor, nihil autem probat: immo & ea passim fingit, quae historicae relationi e diametro repugnant. Quae vero sequela: Hoc fortasse ita contingere potest, ergo reuera ita contigit? Non ibimus inficias, corruptam phanta- siam, morbosque ideales, monstroso non raro effectus produ- cere, quibus non solum spiritus animales; sed ipsa anima ad va- rios & inordinatos motus concitentur, hisque mediantibus variae corpori impresiones & noxae inferri queant. Sed num soli id- circo phantasiae, quae de Vampyris narrantur, tribuenda? Num- quid inde sequitur, omnes illos, qui in Seruia hoc fato occu- buerunt, corrupta laborasse phantasia? Quibus documentis pro- babit auctor, omnes hac lue abreptos, febri acuta intra breuissimi temporis interuallum interiisse? Nonne etiam tales comme- morantur, qui per hebdomadas, immo menses, lecto adfixi, lento admodum morbo obierunt? Et cum, testantibus instru- mentis publicis, inter Vampyros octidiuani quoque infantes fue- rint reperti, numquid & paruulos hosce exorbitantis phantasiae terriculamentis patuisse credemus? Reliqua ut persequamur, multus

multus est auctor in recensendis caussis naturalibus, quibus putrefactio cadaverum in tumulis possit arceri. Atque ita ostendit quidem, quid fieri possit, sed nondum conuincit lectorem, quod reuera etiam in Seruia haec ita accident. Nam qua saltem specie nobis persuadebit, tellurem Meduediensem alias quaevis cadauera in putredinem dare, nunc autem a corruptione illibata relinquere? Quin & in eodem coemeterio corpora quaedam putrefascere, alia uero, & quidem proxime adiacentia, atque diu ante terrae mandata, a putrefactione immunita manere? Fac autem caussis mere naturalibus accidere, ut cadauer aliquo vsque suum seruet vigorē: vigor ad octuagesimum usque diem perdurans, qualis in uno Vampyrorum obseruatus est, solitas causarum naturalium vires transcendit. Ad vngues crinesque in Vampyris recens prognatos quod attinet, cum semel animum induxisset auctor, ex caussis naturalibus omnia deriuare, hic autem inuenire nullas posset, vix breuiori via sese expedire potuisset, quam si illam relationis partem vanis adnumeraret commentis. Eadem fronte quis posset reliqua omnia, a Medicis & Chirurgis sub iurisiurandi fide deposita, negare & pro confictis habere. Quae de naturali cadaverum haemorrhagio tradit auctor, lubentes ipsi concedimus. Sed non parum hic difficultatis ex eo oritur, quod in Vampyris Seruigenibus iam pridem humatis, non foetidus, putredinosus, & multo sero admixtus, qualis in haemorrhagicis cadaveribus esse solet, sed recens & balsamicus sanguis fuerit repertus. Et unde quæsio est, quod persona, dum viueret, macilenta ac paene exsanguis, postea in tumulo eam pinguedinem contrahat, & sanguine abundet? Unde est, quod in veteris locum cuticulae, recens & viuida succrescat? Haeret aqua: altum de his ubique silentium.

§. XIII. Haud paullo difficilior quaestio est: *An hi effectus animae, a corpore suo separatae, sint imputandi?* Qui adpariciones animalium defendunt, nouum in hoc recenti casu suae opinionis stabilimentum sese nactus existimabunt. Quare, quo fundamento celebris illa, de animalium circumuagantium adparitione, traditio nitatur, hic merito inquirendum. Cum au-

tom huius sententiae patroni miris inter se opinionum diuortiis discrepent, age! singulos audiamus.

§. XIV. Primum in arenam prodeant illi, qui magna contentione adserunt, mentes ipsas, sua natura immortales, post suam a corporibus separationem, quandoque reuerti, & viuentibus sese conspicuas praebere. Platonicorum hanc olim fuisse sententiam, ex ipso PLATONIS *Phaedone*, vt & ex PORPHYRIO, ATHENAEO, MAXIMO TYRIO, EVNAPIO, aliisque satis liquido constat. Eadem opinione ductos antebac Rabbinos & Cabbalistas, euincunt ea, quae R. MENASSE BEN ISRAEL de *Resurr. Mort.* Lib. II. c. 6. ex libro Zoar allegavit. Inter Christianos quaestuosa non minus, quam inclyta, de adparitionibus animarum, fabula mirifice aridet Romanensibus; ex quibus praeter alios DELARIO in *Disquis. Mag.* Lib. II. qu. 26. Sect. IV. & CASP. SCHOTTVS in *Phys. Curios.* Lib. II. c. 19. magno exemplorum & argumentorum adparatu, eam persuadere aliis sunt conati. Immo, quod mireris, inter ipsos Reformatos, hanc sententiam recoxerunt HENRICVS MORVS de *Immortalitate Animae* Lib. II. c. 16. & GLANVIL in *Sadduceismo Triumphato*, Part. II. Sect. 24--26.

§. XV. Verum huic opinioni repugnant euidentissima Scripturae loca. Et quidem de animabus beatorum diserte testatur sacrae paginae, quod fint in manu Dei, neque vlo tangantur cruciatu, Sap. III. 1. quod quiescant ab omni opere suo, & quidem aπ' ἀρι, Apoc. XIV. 13. Quod si animae beatorum in quiete sunt & in paradyso, Luc. XXIII. 43. non ergo circumuagantur, multo minus vlo rerum tristium sensu adficiuntur, aut viuentibus noxam adferunt. De animabus damnatorum quid sentendum sit, constat exemplo diuitis heluonis, Luc. XVI. 22. 23. qui testante Christo, statim post discessum ex hac vita, in inferno & cruciatu fuit, neque huc reuerti potuit ad deterrendos a peccatorum consuetudine fratres. Nam si ipsi reditus ex inferno patebat, cur Abraham rogabat, vt Lazarum mitteret? Conf. 2 Sam. XII. 23. Iob. VII. 9. 10.

§. XVI.

§. XVI. Quae pro adstruenda animarum adparitione vulgo adferuntur argumenta, nullius plane sunt momenti. Primum enim parum vel nihil probant, qui dicunt, quanvis naturali modo & ordine defunctorum animae non reuertantur, hoc tamen singulari permisli vel dispensatione Dei fieri posse. Nam diuersissima vtique sunt, quid Deus possit, & quid velit permettere, quod postremum nulla vnquam ratione poterit euinci. Immo ex historia diuitis heluonis nimis evidenter elucescit, Deum huiusmodi adparitiones permittere prorsus nolle.

§. XVII. Frustra deinde citant tot adparitionum exempla, ex profanis pariter ac sacris scriptoribus petita. Nimurum ex profanis tantum non proferunt exempla adparitionum vi pacti factarum, de quibus vid. ERASMVS FRANCISCI in *Hölischen Proteus* Hist. V. p. 17. & SCHELWIGIVS in disput. de *Adparitionibus mortuorum*, *vivis ex pacto factis*, Dantisci cloccviii. E sacris paginis allegant adparitionem SAMVELIS, Saulo regi factam; MOSIS & ELIAE in monte; LAZARI aliorumque in vitam reuocatorum, immo & ipsius CHRISTI, discipulis post resurrectionem adparentis, a quibus pro spectro habitus sit.

§. XVIII. Verum haec omnia sententiae huius patronos param iuvant. Nam ad historiam pythonissac Endoreac in Sam. XXVIII. descriptam quod attinet, falso supponitur, verum SAMVELEM Saulo adparuisse. Certe enim personatum illum Samuelem fuisse Diabolum, mendacii patrem, & res ipsa docet, & a viris eruditissimis fuit iam pridem demonstratum. Vid. WALTHERVS in *Officina Bibl.* p. 369. IOAN. HENR. HEIDEGGERVS de *Pseudo-Samuele a Pythonissa in Endor excantato*, Tom. I. Dissert. Select. Diss. 10. p. 265. GERHARDVS in diss. de *Spectro Endoraeo*, PFEIFFERVS in *Dub. Vox Cent.* II. loc. 77. p. 377. BVDDEV S. in *Hist. Eccles.* V. T. Tom. II. Neque ad rem quicquam facit adparitio MOSIS & ELIAE, Matth. XVII. Luc. IX. quanquam vnde corpus habuerit Moses, in diuersa abeant eruditii. Quod si dicamus, solam Mosis animam adparuisse eo modo, quo sancti angeli in V. T. adparere

adparere consueti fuere , nihil fortasse a veri specie alienum dixerimus . Neque quicquam inde praesidii enascitur contrariae sententiae adsertoribus . Nam Mosis & Eliae adparitionem extraordinaria prorsus ac singulari Dei dispositione , grauissimisque de caussis tum factam , est , quod credamus . Sin prior sententia displiceat , non plane fastidienda erit illa BALTH. BEBELII , in disl. de *Bis mortuis* , §. 24. vbi cum Capello , Grotio , Chemnitio , Lysero aliisque statuit , ex eo , quod Michael Archangelus altercatus fuerit cum Satana de corpore Mosis , probabile esse , Mosen a Deo resuscitatum , & cum corpore vna atque anima in coelum translatum , indeque ad colloquium cum Christo habendum , remissum ad tempus , post eodem reuertisse . Ceterum mortui a Christo resuscitati , vt & Christus ipse post resurrectionem , non qua animam tantum ; sed qua corpus & animam simul , reuerterunt : Vt adeoque nullo plane exemplo , decantata illa , de adparitione animarum a corporibus separatarum , traditio possit probari .

§. XIX. Vrget quidem THOMAS MORVS , spectra eos non raro sermones habuisse ad homines , qui a Cacodaemone proficiisci haud potuerint : puta , si eos ad virtutis & sanctimoniae studium extimulauerint , iisdemque iustitiam diuinam representauerint , articulum & genus mortis praedixerint . Sed non satis perpendisse videtur Morus , Satanam , secundum illud Apostoli , aliquando transfigurari in angelum lucis , vt eo commodius irretire homines , & sub illa sanctitatis larua fune nequitiae minimum ludere possit . Atque inde quoque fieri putamus , vt exorcismis atque incantationibus hominum ridiculis & vanis , aliquando cedat genius infernalis , seque ex aedificiis , quae spectris & laruis infestantur , in sylvas & loca deserta expelli , & quasi in sacco deportari patiatur : cuius ignominiae mercedem satis amplam se putat retulisse , si hac ratione hominum superstitionem alere , adeoque regnum suum stabilire possit .

§. XX. Cum ergo animarum a corporibus seiuistarum adparatio & ad nos reditus , omni destituantur fundamento , atque inter aegra & putida humani cerebri figmenta referri suo iure merear-

méreatur: ulro inde consequitur, vt sanguinis illa sitis atque dira libido, quae Vampyros Seruienses ad viuentium stragem inuitat atque exstimalat, mentibus hominum defunctorum tribui non possit.

§. XXI. Quare eos iam audiamus, qui hominem tribus constare partibus essentialibus statuunt, videlicet CORPORE, ANIMA & SPIRITU, quarum medium, quae ipsis & SPIRITVS ASTRALIS audit, pro ea habent substantia spirituali, quae hominibus post mortem possit ac soleat adparere. Huic sententiae addictus est auctor illarum obseruationum, quae Part. VIII. der Geistlichen Fama, continentur. Hic (1) tanquam certum atque extra dubitationis aleam positum adsumit, dari spectra animarum humanarum. Qua occasione Protestantibus, (contra caussam tamen, vti ex hac tenus dictis liquet) exprobrat, quod cognitis Romanensium fragmentis, ad purgatorium adstruendum, quaestusque faciendo compositis, ad alterum velut extreum delapsi, omnes eiusmodi adpartiones pro meritis Satanae ludibriis ac delusionibus venditare coeperint. (2) tanquam inconcussum fundamentum, innumerisque exemplis firmatum supponit, passiones vehementiores, nisi per poenitentiam expellantur, animae post suum e corpore discessum tenaciter inhaerre, praesertim si quis repentina mortis genere, sine diuturno, vti ait, putridae corruptionis morbo, in ipso passionum auctu, celeriter sit extinctus.

§. XXII. His praestructis, phaenomena tibi proposita explicare adgreditur hoc modo: (1) non est, inquit, necessarium, Satanae soli & immediate illud opus tribuere: Seruat quippe semen illius, etiam in exitu e terrena sua compage, vt vanas cupiditates alias, ita & infensam occidendi libidinem. (2) Facta igitur & praecipitata corporis animaque diremptione, illud quidem tardius putrescit, haec vero pristinam voluntatis libidinem tanto diutius seruat. (3) Ad hanc explendam libidinem, anima astralis corpus ideale adsumit, & antehac consueta voluptatis ac metus obiecta amplectitur, ea praesertim, quae ad magiam imaginoriam sunt maxime idonea. (4) Ea igitur terrore magico

C

repente

repente obruuntur & suffocantur, multoque magis, si qua iracundus eiusmodi spiritus in aetu flagrante, sine corporeo refrigerio ipsis fiat obuiam. (5) Sic inquietae vires, cum patre suo per aerem adhuc volitantes, quaerunt quietem & vindictam, voluptatem & metum, faciliusque suas operationes perficiunt in sexu sequiori, quam in masculo, quoniam ille sensus spiritualis multo est capacior, quae ipsa est imaginationis & magiae perceptio. (6) His vbi pari furore, ferro & flammis occurritur, tunc sopitur ira in mortuis perinde ac in viuentibus. (7) Quod si vero flagrantes eiusmodi titiones, per internam spiritus subministracionem, oleo spiritus profundantur, ad restinguendum infernum optima haec erit via. Deus in hac & futura vita nos abundare illa aqua sinat. (8) Captu difficultissimum est, in physica corporea, non item in astrali: Vtrum spiritus sanguinem materialē exsugant, an tantum partem eius spiritualem, qua sanguinem suum pristinum in vigore conseruent? Huc usque auctor.

§. XXIII. Abstrusa haec sunt pleraque atque impedita. Nec mirum, paullo obscurius philosophari auctorem, cum chimaeae alicuius operationes hic recenset. Nimirum omnia ea, quae tradit, hypothesi de media hominis parte, quam vulgo *animam astralem* vocant, superstructa esse animaduertimus. Non heri aut nudius tertius hypothesis ea in lucem prodiit, utpote quam suo iam aevo magnus ille medicorum Sultan, THEOPHRASTVS PARACELSVS fuit professus. Docebat nimirum, hominem tribus constare partibus essentialibus, quas maiores appellabat substantias, ex his *animam*, a Deo inspiratam, post mortem reuerti ad Deum, vnde originem duxerit: *Corpus*, tanquam partem crassiorem, e duobus inferioribus elementis, terra & aqua compositum, in terram reuerti, atque in ea putrefactere: tertiam vero partem, seu *Spiritum astralem*, qui naturam firmamenti habeat, atque e duobus elementis superioribus, aere & igne conflatus sit, post mortem redire in aerem, velut ad sepulcrum suum, vbi sensim absumatur, ita tamen, ut ad corruptionem sui plus temporis exigat, quam corpus, idque propter elementa, quibus constet, puriora. Porro tradebat Paracelsus, hunc ipsum esse

esse spiritum , qui cogitationes , cupiditates , imagines , menti ante obitum impressas , vna cum facultate concupiscibili atque irascibili retineat : hunc itidem esse spiritum , qui post mortem adpareat , ac plerumque iis locis ac rebus occupetur , quibus in vita sua plurimum inhaeserit , aut quae ipsi in extremo vitae articulo maxime fierint impressae . Paracelsum sicut in reliquis ; ita in hoc etiam passu sequitur IACOBVS BOEHME , in *Epistolis theosophicis* , Ep. 24. p. 205. Eandem hypothesin de spiritu astrali ad spectra applicant ROBERTVS FLVDD , SEBAST. WIR. DIGINV S & IOAN. SOPHRONIVS KOZACK in *discurs. phys. tract.* I. §. 7. ex recentissimis autem RVDIGERVS in *physica divina* , Lib. I. c. 4. Sect. 6. §. 99. & WEBSTERVS in der Untersuchung der vermeinten und so genannten Hexereyen / cap. 16. vbi inter alia hunc quoque effectum spiritui astrali tribuit , quando corpora hominum ex proaeretica malitia occisorum , ad homicidae praesentiam , sanguine madere incipient , quo sanguinis profluvio latitans caedis patrator saepenumero sit detectus , id quod exemplis compluribus declarat , §. 27---35.

§. XXIV. Sed ne quid dissimulemus , astralis isthaec philosophia nobis videtur *per se* *ad eam* , hoc est , altius adsurgere , quam humanae cognitionis modus id patitur . Neque enim tam probatur , quam supponitur , hominem et tribus constare partibus essentialibus , quarum media naturam firmamenti seu siderum habeat . Vnde queso illa mediae partis , seu spiritus astralis cognitionis ? Vnde sciunt , eundem post hominis obitum per aerem volitare , ac tandem a sideribus absumi ? Quodsi rationem audias , vix ea vel acutissimae meditationis subfido ad astra usque euolabit , spirituumque , si qui sunt , astralium naturam , operationes , sepulcta inspiciet . Quae experientia suppeditat , non sunt eiusmodi , ut ad sidereos spiritus confugere sit necesse , cum alia faciliori ratione explicari possint . Frustra itidem citatur resuelatio : siquidem ad ea Scripturae dicta , quae tres homini partes essentiales adsignari videntur , 1 Thess. V. 23. Matth. XXII. 37. 1 Cor. II. 14. 15. XIV. 14. Ebr. IV. 12. & reliqua , facili negotio responderi potest . Perspicue & luculenter ea expediuimus .

TEVBERVS in *Moderato iudicio de quaestione theologica : an den-*
tur tres partes hominis essentiales ?

§. XXV. Est praeterea, quod meditentur hujus hypotheseos adsertores. Nam si verum est, geminam esse in homiae animam, quarum altera passiones & cupidines vel diu consuetas, vel in extremitate vitae puncto sibi impressas, post fata adhuc agitent, atque ob id, adsumto corpore phantastico, viuentibus adpareat, laruis profecto ac terriculamentis nunquam non infesta erunt atque inquieta omnia. Quotidie homines impii, suisque cupiditatibus seruientes, morte sive naturali sive violenta decedunt, paucissimi ante obitum, per poenitentiam veramque fui abnegationem, prauas libidines expellunt, plerique iracundiam, voluptatem, avaritiam, aliasque vanas cupiditates, secum auferunt in sepulcrum. Et rariora tamen spectrorum dantur exempla: quae procul dubio crebriora essent futura, si naturali quadam ratione contingerent, aut si quid esset in homine, quod posset naturaliter post mortem adparere. Saltem iis in locis laruarum frequens adspectus trans-euntes territorus esset, vbi furor martius ingentes edidit exercituum strages, totque uno impetu duces ac milites fortissimos prostravit, qui non segnius confixerant, atque olim Romani in proelio Tarentino aduersus Pyrrhum, de quibus **FLORVS Eliſt. Rom. Lib. I. c. 18.** *Omnium, inquit, vulnera in pectore: quidam boſtibus suis immortui: omnium in manibus enses, & reliæ in vultibus minae, & in ipſa morte ira viuebat.*

§. XXVI. Eo autem minus tolerabilem putamus illam, de astrali spiritu, hypothesin, quod periculosa non minus, quam absurdas trahit consequentias. Nam si spiritus ille ad essentiam hominis pertinet, & post mortem ab astris absumitur, non potest non inde consequi, vt redigatur in nihilum: quo ipso articulus de resurrectione mortuorum, ac redunitione corporis cum anima, labefactatur, quae proxima est ad atheismum semita. Ut taceamus id, quod iam pridem a viris doctissimis obseruatum est, huic hypothesi Paracelsum vniuersam magiam suam inaedificasse. Vid. **FRANCISCI im Höllischen Proteus/ p. 735.**

§. XXVII. Neque illud praeterea obiter aduertendum, quod ple-

plerumque spiritum ab anima ita distinguant, vt illum essentiae diuinae particulam statuant: quam sententiam ex Platonorum Stoicorumque lacunis haustum, iterum in scenam producere, nonnullis volupe fuit: solentque eam in rem passim allegari IOSEPHVS STELLATVS in *Pegaso sapientiae, sive introductione in sapientiam veterum*, cap. 3. 10. BAPTISTA HELMONTIVS de *Sede animae*, n. 17. THEOPHR. PARACELSVS de *Creat. homin. p. 757.* Hinc vero quidam occasionem adepti, vltierius progressi sunt, & istam diuinae essentiae particulam, ceu labis expertem, salutis principium dixerunt, fidem ipsam in ea & in ejus a corporeorum vinculorum liberatione, modum perueniendi ad salutem quaesiverunt, praecipua hoc ipso christiana religionis dogmata pessundantes atque euertentes. Neque procul ab illa sententia abludere auctorem observationum illarum, quae Part. VIII. der Geistlichen Fama, exhibentur, facile intelliget, qui ea legerit, quae num. VI. p. 79. sqq. de lumine interno, fidei inter Gentiles ac Turcas principio, pluribus disserit. Sed haec vt multis persequamur, instituti nostri ratio non permittit. Sufficit ostendisse, quam infirmo ac lubrico hypothesis de spiritu astrali nitatur fundamento. Quo ipso ea omnia vltro corruunt, quae hypothesi per se falsissimae auctor in casu praesenti superstruxit. Et reuera absolum est, aliquid pro causa efficiente venditare velle, cuius existentiam nondum perduxeris ad liquidum.

§. XXVIII. Postquam ergo *κατ' ἀρχήν* ostendimus, quae istius portenti Seruientis causā vera & adaequata neutiquam possit existimari: supereft, vt *κατὰ θεού* euincamus, vniuersae illius tragœdiae auctorem actoremque principalem, subseruientibus licet causis naturalibus, esse infensissimum humani generis hominem, DIABOLVM.

§. XXIX. Enimuero posse spiritum finitum, adeoque & diabolum, vi suae naturae operari in corpora, & pro sua *μηροτρόχια* corpus aliquod adsumere, hominibus adparere, corpus de loco in locum transportare, multosque praeter naturales & mitos edere effectus, inter saniores philosophos pariter ac theolo-

gos, qui inficias eat, invenimus plane neminem. Quamuis enim operandi modum ignoremus: haec tamen ignorantia non tollit realem operationis existentiam. Dari autem eiusmodi operationes diabolicas, tum ex sacris paginis, tum ex aliorum hominum non sublestae fidei testimoniis, euidentissime constat.

§. XXX. Ad Scripturam quod attinet, ea (1) generatum diabolo certas in hoc mundo sublunari operationes tribuit. Sic Paulus Eph. VI. 12. 13. certarum substantiarum facit mentionem, quas principes & potestates, dominos mundi, qui in tebris dominantur, adpellat: & cap. II. 2. diabolum dicit principem, qui in aere dominetur. Idem 1 Pet. V. 8. instar leonis rugientis describitur, qui, quem deglutiat, sollicite quaerat.

§. XXXI. Id ipsum (2) testantur *exempla operationum diabolicarum* in Scripturis passim obuiarum. Ut multa alia V. T. taceamus, 1 Sam. XXVIII. nimis manifestum est, diabolum Samuelis formam fuisse mentitum. Etenim animae Samuelis, aut fraudibus Pythonissae Endoreae illa tribuere, absonum. Huc quoque pertinet historia de lapsu Protoplitorum in paradiso, de Iobo, de porcis in mare praecipitatis, Matth. VIII. 22. Occurrunt & alia operationum diabolicarum exempla, tum in anima humana, puta, SAVLI Regis, 1 Sam. XVI. 15. IVDÆI Ioh. XIII 27. ANANIAE, Act. V. 3. tum in corporibus humanis, quod patet exemplis *obfessorum*, in quibus ea obseruantur, quae viribus naturalibus tribui non possunt, vt si linguis loquantur, quas nunquam antea didicerunt, aut si robur supra vires humanas longissime positum exserant, ne quid iam de operationibus magicis dicamus. Idem quoque confirmant adparitiones bonorum angelorum, tum in V. tum in N. T. Nam si genii boni, adsumto ad tempus corpore, sub visibili specie hominibus se represeñtare possunt, quidni idem possint diaboli, præsertim cum id, quod alii supponunt, adparitionem bonorum angelorum extraordinaria virtute divina, hoc est, per miraculum esse factam, nondum sit probatum? Quae BAL TH. BECKERVS, in *Mundo fascinato*, & qui eum in multis sequuntur, IOA N. WEBSTER, Anglus, in der Untersuchung der vermeinten und

so genannten Hexereyen / CHRIST. THOMASIVS in diss. de Crimine magiae, it. de Origine & progressu processus inquisitorii contra sagas, GOTTFR. WAHRLIEB, in seiner deutlichen Vorstellung der Nichtigkeit der vermeinten Hexereyen und ungegründeten Hexen-Proceses / & complures alii, contra haec illustria Scripturae testimonia excipiunt, friuola sunt, pseud-hermeneutica, & a sanioribus iam pridem explosa.

§. XXXII. Iis, quae Scriptura de operationibus daemoniacis tradit, merito addimus *testimonia humana*, quorum valor, nisi omnem fidem historicam penitus euertere velimus, non simplificiter est reiiciendus. Quod qui faciunt, satis declarant, non se propter defectum fundamenti; sed ob erroneam hypothesin semel receptam, fidem historicam in dubium vocare, quo ipso caussam per se malam reddit deteriorem. Accedit quoque experientia cuiusvis propria, quae utique stabit inconcussa, quamdiu doctrinam de omnimoda sensuum fallacia & incertitudine, sanior quisque absurdissimis adnumerabit deliriis.

§. XXXIII. Cum ergo ea omnia, quae in Seruia contigerunt, neque corpori emortuo, neque animae, neque aliis causis naturalibus, sibi nimirum sollicitis ac solitarie operantibus, tribui possint, ut supra fuit vberius declaratum: Quid obstar, quo minus sub illa Vampyrorum larua, homicidam ἀν' αἰχμήν, diabolum quaeramus? Etenim, quod cacodaemoni *facultas agendi* in corpora non desit, ex iis, quae paullo ante dicta sunt, intelligitur. De propensa autem genii infernalis *voluntate*, eiusmodi tragedias, si permisso diuina pateat, ludendi, non est, cur dubitemus. Is enim, tanquam spiritus famelicus, iracundus, crudelis, inquietus, teste Seruatore, arida permeat loca, & praesertim in corporibus humanis, quorum ineffabili cupiditate trahitur, quietem suam quaerit, ardentesque iracundiae flamas extinguere conatur, Matth. XII. 43. Quodsi viuentium corporibus excludatur, mortuorum in tumulis corpora adfectat. Atque hinc libenter in sepulcris commoratur, docente id ipsum Scriptura, Matth. VIII. 28. sqq. & Luc. VIII. 27. sqq. Quis sibi corporibus humanis expellatur, in parte felicitatis ponit,

Si pororum corpora ingrediendi facultatem nanciscatur, clamitat contra, velut ingenti cruciatus tactus, si corporis expers circumuagari cogatur. vid. l. c.

§. XXXIV. In illo autem tragico Vampyrorum lusu diabolum suas habere partes, eo minus fortasse dubitabit, qui loci atque hominum, quibus atrocia isthaec obtigerunt, naturam & conditionem considerauerit. SERVIA scilicet cruentae illius tragoeiae theatrum est: Homines illam incolentes in densissima ignorantia, foedissimaque superstitione versantur, ac si fides est itinerariis, vix vla gens, vt latrociniis & rapinis; ita & beneficis artibusque magicis, magis addicta est. Eo autem facilius daemon malignus exercere opera sua in illis potest terris, vbi homines impios, coecos, suisque ludibriis physice & moraliter prae ceteris admodum deprehendit. Testatur hoc omnium temporum historia, quo plus ignorantiae & superstitionis humana impleuerit pectora: eo frequentiores exstissemus cacodaemonis gravitationes & strepitus: contra dispulsis superstitionum tenebris, motus hosce diabolicos maximam partem fuisse repressos. Quod non eo accipi velimus, ac si diabolus nusquam, nisi in cerebro hominum, praeconceptis opinionibus laborantium, querendus esset: sed quod reuera diabolus, testante Scriptura, in tenebris dominetur, adeoque in luce opera sua pari successu perficere non possit.

§. XXXV. At, si ita est, inquis, etiam alibi locorum diabolus parem instruere scenam poterit, cum nuspia desint homines superstitionis atque ignorantiae coeno obruti. Sed facilis ad haec responsio. Occurrunt vtique eiusmodi casus, cum in aliis Hungariae locis; tum in Moravia, Bohemia, alibi. Neque multum a Vampyris Seruientibus diuersi sunt, VPIERII, quos vocant, Polonici. Adhaec diabolus non eundem vbique minimum quasi lusitari, sed alibi aliter sese exserit, prout naturam hominum & indolem esse comparatam agnoscit. Illud praeterea extra dubitationis aleam posatum, quod diabolus in vna prouincia libentius commoretur, quam in altera. Satis hoc manifestum est ex iis, quae Marc. V. 1. sqq. commemorantur. Cum enim dia-

diabolus ex obfesso homine, in sepulcris multum versato, dicisa Seruatoris virtute expellendus esset, obnixe rogabat, ut ne cum legione sua ex eo tractu deturbaretur. Cum his conueniunt ea, quae PSELLVS in dialogo de *operationibus daemonum*, multis descripsit, ex ore MARCI cuiusdam in Mesopotamia degentis, qui cum Chaldaeorum ritibus addictus fuisset, & corum doctrina imbutus, Christianismum amplexus erat. Vid. THOMAE STANLEII *Historia Philosophiae Orientalis*, quam IOAN. CLERICVS in *Operibus Philosophicis*, Pneumatologiae suae subiecit, p. 205. squ.

§. XXXVI. Iam si quaeras, qua demum ratione diabolus putredinem cadaueris ad tempus impedire, colorem sanguinis, integratèm viscerum vel vere, vel adparenter conseruare, corpus aliquod, sicut Christum, Matth. IV. per aerem transportare, in cameras inferre, perque corporis parastatice adsumti organa, sanguinem e corpore viuo exlugere, quemadmodum olim per ventriloquas, sine organis idoneis, locutus est, aut alicunde sanguinem, vt olim in Aegypto in corpora deriuare possit: Fatendum vtique, abstrusiora haec esse, quam vt ab ullo mortalium concipi possint aut explicari. Sed inde nondum sequitur, ea peragere diabolum non posse, aut reuera etiam in Seruia non peregrisse.

§. XXXVII. Neque tamen, si omnes illos effectus primario cacodaemoni adscribamus, eum idcirco facimus omnipotentem, vel θαυματηγορ. Potest enim veterator ille μυριότεχνος, pro sua potentia, quamuis admodum limitata ac circumscripta, diuino permisso, plurima patrare mira atque vires humanas nimium quantum superantia, quae tamen a miraculis veri nominis longissime sunt diuersa. Agit quippe genius infernalnis mediantibus naturae viribus: Deus autem sine ullo mediorum visu, aut caussarum secundarum interuentu, per absolutam suam potentiam, quaecunque vult, efficit.

§. XXXVIII. Atque ita quidem accipienda sunt, quae in causa praesenti differimus. Dum enim diabolum illius tragœdiae Seruiensis causam principalem citamus, ab hoc opere non

excludimus naturae vires, quibus daemon malignus in exsequendis malitiae suae technis vtitur. Ut paucis mentem declaremus, non a veri specie nobis abhorrere videtur, vniuersam Vampyrorum pestem; quae Seruientes aliquousque infestauit, constitere in CONTAGIO quodam MAGICO, iusto Dei iudicio illius tractus incolis immisso. *Contagium* dicimus, quoniam luis instar pestilentis, latius altiusque serpit, suoque adflatu non singulos modo homines, sed integras quoque familias inficit atque euerit: *Magicum* vero adpellamus, quod diabolus naturae viribus suas immiscet operationes, adeoque praeter naturales quosdam edit effectus.

§. XXXIX. Etenim complura hic subesse naturalia, quibus diabolus ad praeftigias suaseo felicius expediendas vt possit, neutrquam ituri sumus inficias. Constat humano quoque artificio, cadauera ad longissimum temporis interuum, contra putredinem posse praeservari. Quidni diabolus naturae vires, quas procul dubio magis exploratas, quam peritissimus quisque medicorum habet, ad cundem finem determinare possit? Non parum quoque adiumenti diabolo praebere hominum Seruientium indolem coecamque superstitionem, iam supra monuitus. Quibus adiecieat iuuat, Seruiam, in finibus Turcorum sitam, quasdam ex religione & traditionibus Graecorum seruare reliquias. In his est inueterata persuasio de corporibus *excommunicatorum*, noetu de tumulis surgentium, homines terrentium, ac tantum non trucidantium. Vnde nihil frequentius apud Graecos, quam repentinae mortis casus *excommunicatorum* corporibus imputare, eaque de tumulis eruta flammis committere. Hac igitur superstitione imbuta plebs, vbi insoliti quid accidere animaduertit, istetu terrorique impletur, quo turbulentio affectu non potest non ipsa turbari imaginatio. Quid ergo? Num vniuersam hanc scenam pro corruptae imaginatione ludibrio habemus? Minime gentium. Hoc saltet ienuimus, diabolum caussas eiusmodi naturales, in prava hominum dispositione fundatas, suam putare occasionem. Nam quo magis inter homines supersticio regnat,

eo latius terror diffunditur , eoque plures diabolus ad magicum .
ciusmodi fascinum concipiendum aptos deprehendit .

§. XL. Atque hinc etiam intelligi quodammodo potest , cur malum desinat , sicuti cadauera Vampyrorum e sepulcris eruta , quacunque ratione destruantur . Tum videlicet homines metu faltem leuati , sensim resumunt animos , & ad se quasi redeunt , vt insultibus ac ludibriis daemonicis etiam naturaliter minus pa-reant . Vt & hic fortasse in multis locum habeat , quod medicis in proverbio est : *Inuentis & destructis signis fascini , destruitur ipsum fascinum* . Sed in his procul dubio etiam diuina prouiden-tia suas habet partes , quae potentiae genii infernalis certos ponit limites , quo minus pro lubitu in homines eorumque corpora pos-sit grassari .

§. XLI. Coronidis loco dissertationi nostrae breuissimam ad-demus meditationem . Nimirum VAMPYRI non in sola Ser-via sunt quaerendi , cum etiam Germania nostra , aliaeque per orbem terrarum prouinciae , quot hypocritis , tot quas Vampyris abundant . Nam qui sanguinem Iesu Christi in Sacramento coenae impuro ore hauriunt , & nihil secius vitae spiritalis ex-pertes , mortui sunt & manent , numquid a Vampyris Seruien-sibus multum differunt ? Porro , qui peccatorum dominio subie-cti ; mortique fructum ferentes , sanguinem & meritum Christi subinde crepant , & , carnali fiducia elati , ore diducto iactitant , nonne morali quadam ratione Vampyrorum naturam imitantur ?

Ita est . Neque prius Vampyri pestilentes esse desinent , quam corpus peccati dominantis , palo crucis Christi transfixum , igne amoris diuini absumatur .

F I N I S.



901686

